ſitionis partem lineæ c d, & e f, ſunt æquidiſtantes. Tertio faciat linea a b duos angulos intrinſecos ex eadem parte, æquales duobus rectis, ut d g h et f h g, dico lineas c d & e f æquidiſtare, quoniam anguli d g h & f h g per hypotheſim ſunt æquales duobus rectis, & per decimam anguli d g h, & c g h, etiam æquantur duobus rectis, ergo per primum poſtulatum anguli d g h, & f h g, æquales ſunt angulis d g h, & c g h, Ablato ergo communi angulo d g h, relinquitur per tertiam communem ſententiam, angulus c g h, æqualis angulo f h g, ſed hi ſunt coalterni, ergo per primam partem huius Propoſitionis lineæ c d, & e f æquidiſtant.

## VICESIMAPRIMA PROPOSITIO.




Si linea recta duas æquidiſtantes ſecuerit, faciet angulos coalternos æquales. Extrinſecum intrinſeco ex eadem parte ſumpto æqualem. Et duos intrinſecos ex eadem parte æquales duobus rectis.

Repetatur prior figura in qua ponantur c d & e f æquidiſtantes. Prima pars Propoſitõis ſic demõſtratur. Nã ſi anguli coalterni ut c g h et f h g nõ ſunt æquales, erit alteruter eorũ maior, ſitq; c g h maior. Quoniã igitur c g h maior angulo f h g ponatur cõis ãgulus d g h. ãguli ergo per